



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata ut
Sacramento, & ut sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-unctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

De obligatione faciendi sacrum titulo capellaniæ,, vel beneficii simplicis, &
curati. 13

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

expungit, non ut improbabilem, sed ut minus probabilem, & sententia D. Thom. contrarium. Ambrosio, relatus explicari potest de omissione celebrationis ex negligentia, & torpore, quæ certe aliqua culpa est, item de omissione sacrificij absoluta, non de omissione sacrificij à quolibet sacerdote per se ipsum oblato. Deinde prædicta verba in Ambrosio non inveniuntur, sicuti testatur Vasq. loco allegato. Ratione verò probabilitas huius sententiæ non leuiter confirmari potest. Nam si sacerdotis singuli obligati essent ex præcepto diuino aliquoties sacrificare, necessario tempus implendi hoc præceptum determinatum esse deberet, vel ex iure diuino, vel Ecclesiastico, quippe est præceptum affirmatiuum, quod non semper, sed suo tempore signato obligat. At neque ex iure diuino, neque Ecclesiastico constat quod sit tempus executioni huius præcepti determinatum præter casum, quo Ecclesiæ sacrificium deficeret. Ergo extra hunc casum nulla est sacerdotis obligatio. Quod si dicas cum communi sententia iure diuino determinatum esse tempus scilicet quater in anno. Argum. cap. dolentes de celebrat. missar. Obstat: quia vel hæc quater celebratio exequenda est intra trium mensium spatium, vel intra annum. Ex iure diuino neutrum colligi potest. Ergo gratis fingitur. Præterea ex cap. dolentes iam probatum est nullum de sacrificio præceptum inferri posse.

3. Dixi in assertione, secluso scandalo. Etenim sacerdos, qui sex vel octo menses absque rationabili causa à celebratione abstinere, scandalum generat, & male audit apud omnes, meritoque iudicatur suæ salutis inimicus, cum fructum tantum sacrificij ex incuria, & negligentia percipere omittat. Si enim 2. Machabæor. 4. cum non mediocri planctu, & dolore referatur quod illius temporis sacerdotes circa altaris officia dediti non essent, sed contempto templo, & sacrificijs neglectis festinantem participes fieri palæstræ, quid fieret si sacerdotes legis gratiæ contempto templo, & sacrificio Christi neglecto ad vana, & fortè turpia properarent? ut communitur præsumitur qui tantum sacrificium celebrare contemnit, & tradit Suar. Azor. Henricq. Bonac. & alij in principiis relati.

4. Illud verò est certum simplices sacerdotes etiam possint singulis diebus celebrare, idque maxime debeat, cum ob Dei cultum, & honorem, tum ob Ecclesiæ fructum, tum ob cuiusque utilitatem propriam, at nulla lege ad prædictam quotidianam celebrationem astringuntur.

5. Episcopi verò, & Prælati Ecclesiarum Cathedralium, & collegiarum, & conuentualium tenentur curare, ut in prædictis Ecclesiis saltem vnum sacrum singulis diebus fiat, uti colligitur ex cap. cum creatura. De celebrat. missar. An autem peccent ij Prælati moraliter, si vno vel altero die sacrum absque legitima causa omittere permittant? non conueniunt Doctores, Sorus dist. 13. quæst. 2. art. 2. Suar. dist. 80. sect. 2. Victor. de Euchar. numer. 44. negat casu quo exiguus sit numerus sacerdotum illius Ecclesiæ. Affirmant. Layman. lib. 5. sum. tract. 5. cap. 3. numer. 5. & Egid. quæst. 83. art. 2. dub. 1. numer. 207. Ego verò existimo consuetudinem spectandam esse, si enim consuetudine firmatum sit quotidianum in illa Ecclesiâ sacrificium, grauitè peccaret Prælati illius Ecclesiæ, si absque publica causa omitti sacrificium permitteret. Tum quia illa consuetudo vim legis habet. Tum quia in cap. cum creatura præceptum imponitur de quotidiano sacrificio illis Ecclesiis celebrando, à quo præcepto Prælati excusari non potest, nisi ex præscripta contraria consuetudine, vel aliquo impedimento legitimo superueniente. Tum quia fideles non leuiter offenderent, si sacrum absque causa viderent omitti. Quod verò Abbas, & Glossa, in cap. cum creatura, alijque Canonistæ sentiunt in prædictis Ecclesiis duo sacra faciendâ esse quotidie, aliud pro defunctis, aliud de tempore, nullum fundamentum habet neque in prædicto textu, neque in alio iure, ut bene obseruauit Egid. de Coninch. quæst. 83. art. 2. dub. 1. n. 104. Layman. lib. 5. sum. tract. 5. cap. 3. n. 5. Etenim ex prædicto cap. cum creatura solum colligi potest ob annuatium defunctorum non esse Missam festi, vel feriat omittendam, si sacerdotum numerus competens fuerit, non verò quod simul cum Missa feriat, vel festi annuatium defunctorum quotidie fiat, cum id sit contra praxim Ecclesiæ, quæ solemnioribus festis annuatium non permittit. Quocirca si vis scire quor sacra in qualibet Ecclesiâ teneatur Prælati curare ut celebrentur, illius Ecclesiæ consuetudinem, & fideliū fundationes inspicere debes, sicuti notarunt Egid. & Layman. supra.

PUNCTVM XIII.

De obligatione faciendi sacrum titulo capellanæ, vel beneficii simplicis, & curati.

1. Capellanus obligatur Missas iuxta tenorem fundationis celebrare, & fructum pro intentione fundatoris applicare. Ferd. de Castro. Sum. Mor. Pars IV.

2. Impeditus celebrare an postmodum supplere debet, & quid si in loco signato non celebrauit? Remissè responderetur.
3. Qualiter teneatur beneficiarij simplices celebrare.
4. Parochus obligatur celebrare omnibus diebus, quibus populus tenetur.
5. Qualiter aliis diebus teneatur.
6. An teneatur applicare fructum pro omnibus? affirmant plures.
7. Verius videtur oppositum.
8. Qualiter possint stipendium pro Missis dicendis accipere.

1. **C**eterum apud omnes est capellanum obligatum esse non solum Missas celebrare in fundatione præscriptas, sed illarum fructum secundum intentionem fundatoris applicare, ita ut nequeat nouum stipendium pro illa Missa ab aliis accipere. Ponimus namque redditus capellanæ æquare debito stipendio sacrificij, ex alia parte à fundatore conceduntur, ut secundum eius intentionem sacrificium fiat. Non igitur est locus alii fructum sacrificij applicandi. Quod si redditus insufficientes sint, penes Ordinarium est potestas reducendi Missas ad legitimum numerum, iuxta ea quæ diximus tract. 13. de benef. dist. 1. pun. 6. à n. 24. Solum aduerto si capellania quotidianum sacrificium per ipsum capellanum præscribat, non peccare capellanum semel in hebdomada omittentem sacrum, teste Bonac. dist. 4. de sacram. q. ult. pun. 7. n. 6. Laym. lib. 5. sum. tract. 5. c. 3. n. 6. quia obligatio dicendi sacrum, subintelligi debet salua honestate, decencia, & reuerentia debita. Argum. significatum de Præbend. Et ibi Abbas. Nauarr. c. 15. n. 135. Henricq. l. 9. c. 24. num. 4. Azor. l. 10. c. 24. q. 7. Sed difficile est à capellano maxime seculari singulis diebus absque vlla intermissione sacrificium debita cum honestate, & reuerentia celebrari, tum ob negotia, & occupationes occurrentes, tum ob varias demonis tentationes; & mundi illecebras. Ergo credendum est obligationem impositam à fundatore non esse eo rigore sumendam, quin in hebdomada aliquem diem intermissionis, & vacationis concedat. Sic vsus obtinuit.

2. Sed an capellanus cum legitime impeditus est celebrare, teneatur per alium supplere? Et quid si in loco designato non celebrauit, sed alibi. Vide quæ diximus præd. p. 6. à n. 25.

3. Beneficiarij alij simplices, quales sunt dignitates, canonicatus, & præbitiones per se obligationem non habent sacri faciendi, & a fortiori neque applicandi illius fructum pro aliqua persona determinata, quia iure communi id cauum non est. At ex fundatione beneficii, & ex recepta consuetudine optime possunt prædicti beneficiarij obligari non solum ad sacrum faciendum aliquibus diebus determinatis, sed etiam ad applicandū illius fructū secundum determinatam intentionē.

4. Parochus verò obligatus est sacrum facere per se, vel per alium omnibus illis diebus, quibus parochiani obligantur audire: est omnium sententia, quia officium parochi est ministrare parochianis quæ illis necessaria sunt ad salutem, & ob huiusmodi causam decima, & obligationes conceduntur. Unde si populus ita numerosus sit, ut simul sacrificio assistere non possit, parochus curare debet medijs alijs clericis quibus iustum stipendium concedat plura sacra fieri iuxta beneficii redditus, quod arbitrio Ordinarij decidendum est.

5. Aliis vero diebus non est ita certa obligatio, satis tamen indicatur à Concilio Tridentino. sess. 23. cap. 14. in fine, aliquibus ex illis esse. Si enim communiter Doctores docent obligatum esse parochum Penitentia, & Eucharistia sacramentum parochianis ministrare, non solum quando ipsi obligati sunt accipere, sed etiam quando ipsi pro augmento deuotionis, & charitatis rationabiliter postulant; eadem ratione affirmare debent hoc sacrificium ministrandum esse non solum cum ipsi obligati sunt audire, sed etiam quando rationabiliter postulant, ideoque Sorus in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 2. existimat aliquoties in hebdomada obligatum esse parochum celebrare, & probabile reputat Azor. lib. 10. cap. 2. q. 2. Illud vero est certum, si populus numerosus sit, & beneficii fructus non exigui, posse Episcopum, & debere parochum astringere, ut aliquoties bis, vel ter in hebdomada celebret maxime si in eo oppido non sint Ecclesiæ collegiatæ, vel conuentuales aliquas pro sacrificio audiendo concurrere populus possit. Sic Laym. lib. 5. sum. tract. 5. cap. 3. n. 2. consensit Bonac. dist. 4. de sacram. q. ult. pun. 8. num. 4.

6. Difficultas ergo est, an illis diebus, quibus parochus obligatus est celebrare, teneatur sacrificij fructum pro suis ouibus applicare? Affirmat Sorus in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 2. & lib. 9. de iust. quæst. 3. art. 1. §. nihilominus. Mouetur, quia parochus non tantum alicuius parochianis, ut eos pascat verbo, & exemplo, & sacramentorum administratione, sed etiam ut comparatione illorum officium sacerdotis exerceat. At sacerdotis officium est sacrificium pro populo offerre, iuxta illud ad Hebr. 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis, &c. Communis tamen sententia docet parochum obligatum esse pro suis ouibus fru-

ctum sacrificij applicare non semper, sed aliquoties arbitrio prudentis iuxta beneficii fructus & illius obligationes, quia Trident. sess. 23. c. 1. de reformat. in princ. expressè definiuit precepto diuino teneri parochum oues suas agnoscere, pro eis sacrificium offerre & c. Est igitur hec obligatio saltem aliquoties in anno arbitrio prudentis exequenda. Sic docet Barbosa. 2. p. de potest. Episc. allegat. 24. num. 23. Bonac. disp. 4. de sacram. q. vlt. pun. 7. à num. 5. ubi existimat ex prudentis arbitrio parochum obligandum esse. Missas præcipuis solemnitatibus Domini, & Dominicis, vel saltem semel in hebdomada pro ouibus applicare.

7. Ceterum verius existimo ex beneficii curati vi nullam parochum inesse obligationem applicandi fructum sacrificij pro suis ouibus. Sic Nauarr. cap. 25. n. 92. Reginal. praxi lib. 23. n. 238. Valq. disp. 234. c. 4. Suar. disp. 86. sect. 1. vers. de beneficiis. Naldus. verbo parochus num. 18. Paul. Fraxind. de obligationib. sacerdot. sect. 3. prenot. 2. §. 2. Possuin. de officio curat. cap. 2. n. 4. Aegid. de Coninch. q. 83. art. 1. dub. 11. concl. 3. Neque dissentit Layman. lib. 5. sum. tract. 5. cap. 3. num. 3. Ratio ea est, quia officium curati est pascere oues verbo, & exemplum, & sacramentorum administratione, sacrificijque dispensatione. Hoc autem fieri potest, tamen fructus sacrificij specialiter ouibus non applicetur, sed solum ea generali applicatione, qua omnibus fidelibus, & præcipue sacrificio intereuentibus applicatur, & ita intelligendum est Trident. & locus Pauli ad Hebr. 5. Confirmat Suar. hanc sententiam exemplo Episcopi, & Prælati regularis, quos à sacrificio pro iuis subditis offerendo consuetudo excusat, cum tamen verè parochi sint, & Episcopis redditus abundantissimi soleant concedi. Deinde si ob fructus beneficii perceptos obligatus esset beneficiarius sacrificium pro ouibus offerre, partem illius obligationis retineret, si beneficium resignaret reteruata pensione, cum pensio sit pars fructuum beneficii, at in pensionario nullus hanc obligationem agnoscat, quippe neque celebrandi obligationem habet. Ergo, & c. Præterea parochiani sæpe parochum stipendium concedunt pro Missis dicendis, sæpe capellanias institunt vident. & consentiente Episcopo, si autem parochus titulo beneficii præcipue abundantis obligatus esset sapius pro parochianis celebrare, neque titulo capellanæ fundarentur, neque stipendium ita frequenter concederetur.

Moaent tamen Doctores specialiter Aegid. & Layman. supra, obligatum esse parochum ex caritate, & iustitiæ æquitate sæpe intra & extra sacrificium pro ouibus exorare. Verum huic obligationi existimo abundè satisfacere pro illis sacrificium, & orationes communes fundendo, nisi aliquando graui aliqua necessitate premantur, ad cuius remedium credat specialem orationem necessariam esse, quod vix contingere potest.

8. Ex his inferretur an possint parochi stipendium accipere pro Missis dicendis? Et quidem si singulis diebus tenerentur sacrificare pro populo, ut placuit Soto, nequaquam possent stipendium accipere; quia stipendium conceditur, ut concedenti specialiter Missæ sacrificium applicetur, quod fieri nequit, cum iam huc ratione beneficii obligati populo sacrificium specialiter applicare. Sicuti docuit Suar. disp. 86. sect. 3. concl. 3. Si verò una, vel altera vice in hebdomada obligentur, ut tenet communis sententia, cum hæc obligatio determinato diei restricta non sit, poterunt parochi ea stipendia pro Missis dicendis accipere, quæ executionem prædictæ obligationis non impediunt. Sed quia verius existimamus parochos ratione beneficii, non esse obligatos fructum beneficii specialiter pro ouibus applicare, consequenter asserendum est posse quolibet die, quo alias obligati non sunt, stipendium accipere pro Missis celebrandis, & ita docuit Valq. disput. 234. cap. 1. c. 4. Notanter dixi quo alias obligati non sunt, nam si ex consuetudine, vel fundatione, vel Ordinationis lege, & præcepto aliquibus diebus determinatis sacrificare pro populo obligentur, non poterunt stipem accipere, ut eo die concedenti sacrificium applicent, nisi fortè concedens stipem concius sit illius obligationis, nam eo casu præsumitur stipem concedens, & petens eo die sacrificium contentus esse, ut secundaria intentione ei sacrificium applicetur, ut tradunt Sotus lib. 9. de iustit. q. 3. art. 1. Suar. disp. 86. sect. 3. concl. 3. Henric. lib. 9. cap. 22. n. 6. Layman. lib. 5. sum. tract. 5. cap. 3. n. 4. Quod si stipem concedens non postulet sacrificium fieri die quo parochi alias attinguntur, debent parochi stipem recipientes pro eo celebrare illis diebus, quibus, nulla obligatione tenentur: quia hæc præsumenda est concedentis voluntas.

PUNCTUM VIV.

De obligatione sacrificandi ob promissionem simplicem vel stipendium acceptum.

1. Ex promissione simpliciter oriri potest obligatio. Regulariter non

2. Ex stipendio oritur obligatio ex iustitia sacrificandi in fauorem illius, qui stipendium concessit. At omisso vnus sacri non est censenda grauis culpa.

3. Accipi potest stipendium absque labe simonia.

4. Expenditur quale sit iustum stipendium vnus sacri.

5. Nemini licet plura stipendia integra à pluribus accipere, & vnico sacri scio facere satis.

6. An inæqualia stipendia accepta possit ad æqualitatem reducere, & iuxta æqualitatem sacrificij numerum exoluere.

7. Probabilius est non posse.

8. An hæc obligatio fidelitatis sit, vel iustitia.

9. Si abundantiores stipem collegisti pro Missis dicendis, an possit alius minor concedere? Sub distinctione respondetur.

11. Obligatus dicere sacrum de B. Virgine, de Defunctis, satisfaci. si celebret Missam de festo eo die occurrente.

11. Qualiter peccet, si diu differat celebrare.

1. Non est dubium ex simplici promissione obligationis gratius sit, pendet ex illa questione, an promissio simplex grauem obligationem inducat, præcipue cum acceptata est. Verum postea sententia affirmante grauem ex promissione simplici obligationem oriri, cum materia grauis est, adhuc probabilitate non caret ex simplici promissione facta alicui pro illo celebrandi non oriri grauem obligationem, eo quod regulariter, & communi hominum vsu spectato sic promittentes solum ex vrbantate promittant, solumque vrbantatis, & honestatis obligationem velint contrahere non iustitiam, regulariter, nec fidelitatis rigorose, ideoque adimplentes promissum à mortali excusantur, sicuti bene notauit Suar. disp. 86. in præmio.

2. Ex stipendio accepto oritur obligatio sacrificandi in fauorem illius, qui stipendium concessit, nemo est qui ambigat. Sed an hæc obligatio ita grauis sit, ut solum ob omissionem vnus sacri sub stipendio promissi peccet mortaliter? non satis constat. Petr. Nauarra. lib. 2. de restit. cap. 2. dub. 7. corol. n. 329. in 2. adit. affirmat eo quod vnus sacri priuatione grauius concedens stipem defraudaretur. Est enim sacrum quolibet pretio temporali æstimabilius. Item si ex voto, vel iuramento, vel ex superioris præcepto sacrum debitum esset, nemini est dubium illius omissionem grauem culpam inducere. Ergo etiam inducit, cum ex stipendio debitum est. Sed rectius Sanch. l. 6. de matr. disp. 5. n. 25. contrarium existimat casu quo stipendium datum in materia furti grauem culpam non inducat. Constat Pagand. de primo Eccl. precept. lib. 3. c. 8. circa finem n. 11. Non enim grauius sacrificij restimanda est in presenti ex eo quod sacrificium quolibet temporali pretio dignius sit, aliis cuiuslibet orationis omisso grauem culpam induceret, sed illius grauitas delumenda est ex damno, quod patitur is, cui sacrificium erat applicandum. At hoc damnum in genere damnorum spiritualium, in quibus fieri debet comparatio, graue non est, siquidem leui stipendio redimi potest. Neque est simile de sacrificio debito ex voto, iuramento, vel superioris præcepto. Nam eo casu grauitas materie debet delumitur ex cultu, & honore, qui Deo per sacrificium exhibetur. Constat autem vnicum sacrificium esse grauisimum, & supremum Dei cultum, & honorem. Ergo illius omisso grauem culpam inducit.

3. Possit sacerdotem siue pauperem, siue ditem absque vlla labe simonia obligare ex iustitia ad sacrum faciendum pro intentione illius, qui stipem concessit, probauimus late tract. de simon. pun. 5. c. 11. Non enim stipendium conceditur in pretium fructus ex sacrificio applicandi, sed in sustentationem sacerdotis sub obligatione ut fructum applicet stipendium concedenti. De qua re Jacob. de Grassis in aureis decision. lib. 2. cap. 96. numer. 32. Gutier. Canon. quest. cap. 29. à n. 3. Henric. lib. 9. cap. 22. Suar. lib. 4. de reliq. cap. 14. c. 5. p. q. 83. art. 6. disp. 86. sect. 1. Valq. disp. 234. per totam Aegid. eadem q. dub. 10. à n. 191. Zenedo ad decretal. collect. 4. à num. 3. Barbosa aliis relatis, tum in remis. Concil. sess. 22. in princ. tum 2. p. de potest. Episc. alleg. 24. num. 2.

4. Sed quale stipendium sit iustum pro vnus sacri obligatione? non conueniunt Doctores. Plures non infima nota credunt iustum stipendium esse, quod integra sustentationi sacerdotis pro vnico die sufficiat. Sic Henric. lib. 9. sum. cap. 22. numer. 1. c. 4. c. in comment. Aegid. de Coninch. q. 83. art. 1. dub. 10. circa finem. Petr. Nauarra aliis relatis lib. 2. de restit. cap. 2. num. 315. c. num. 320. addit consuetudine, & lege positua contrarium statui non posse. Quod si roges quæ sub nomine strictæ sustentationis intelligantur? responderet Nauarra, ubi supra non solum victum, sed & vestitum tam proprium, quam lux familie, hoc est illi necessario seruientium intelligi debere. Henric. extendit ad victum, & vestitum cognatorum, quos sacerdotes alere obligatur. Mouentur ij Doctores, quia altari seruiens de altari viuere debet, iuxta Apostolum, relatum in cap. cum secundum de Præbendis. Cum ergo singulis diebus vnico tantum sacrificio altari interesse possit, ob illud sacrificium